

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Rvtha.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

cum non egeretis? S. ^{a)} Noli quæso, Jephtha,
meminisse injuriae. Si nos non recte fecimus,
qui te expulerimus: tu recte facies, si maleficium
pensabis beneficio, & innocentiam tuam magis
commendabis. Quod si nobiscum profectus fue-
ris, & debellaveris Ammonitas, constituemus te
principem omnium Galaaditarum. Atque ita fiet,
ubi tibi longe plus sit boni, quam quanta fuit in-
juria. I. Ergo si revocatis me ad debellandos
Ammonitas, et Jova subegerit eos mihi, obtine-
bo principatum in vos. S. Contestamur Iovam
nos esse facturos isto modo. I. Persuasiliis.
Eamus.

SENTENTIA.

*Præstantes viri, licet eis in præsentia non egeas,
retineri debent in casus futuros.*

R V T H A. Ruth. I.

ARGUMENTVM.

Noemin ex Moabitica discedentem in
Israeliticam terram, quamvis dissidentem,
comitatur præ ejus amore Rutha, ejus
quondam nurus.

Noemis, Rutha, & Orpha ejus nurus.

Postquam Deus cepit misericordiam sui populi
(ut accepimus) eumque lavavit fame, quæ
coegerat me & meum virum & liberos, confuge-
re huc ad Moabitas, jam nihil est, quod velim
diutius agere in regione aliena. Sed vobis, meæ
nurus

E 2

a) Injuria obliisci deset.



nurus charissimæ, cœnse o redeundum suam cuique in domum patriam, postquam estis privatæ viris. Jam satis me comitatæ estis. Ite sane secundo Deo, quem precor, ut vobis rependat pietatem, qua usæ estis ^{a)} in mortuos, & in me Dei, inquam, vobis Jova, ut nanciscamini quietem suam ultraque apud maritum. Amplectimini me charissimæ conjuges meorum olim filiorum. *R.* Heu nos miseras, siccine disjungimur a te? Ah non fiet, suavissima socrus: quin ibimus tecum ad tuos populares. *N.* Nihil opus est, meæ filiolæ: an putatis me adhuc utero edituram filios, qui futuri sint vobis viri? Revertimini potius, meæ filiolæ, abite. Nam ego quidem grandior sum, quam ut sim apta viro. Sed fingite non abesse spem, meque tradi viro vel in proximam noctem, filiosque gignere: an estis expectaturæ, donec adoleverint? poteritisne tam diu durare sine viris? Non ita, filiolæ: parentum est necessitati. Evidem valde angor vestro discessu, sed nolo repugnare urgenti Deo. *O.* Vera prædicas: melius est reverti. *N.* Sapis, amplectere me. Vale, mea quondam nurus. *O.* Vale & tu, mea quondam socrus. *N.* Vides Rutha, ut tua fratria repetat patriam, & deos penates? Quid apud me hæres? revertere una cum ea. *R.* Ne me urge de relinquenda. Nam quo tu cumque ibis, ego ibo: ubi tu coimmoraberis, ego commorabor: communis mihi tecum erit populus, communis Deus: tecum una moriar, tecum una huma-

^{a)} Videlicet ante ac post mortem variis amoris signis.



cui humabor: ita omnino statui. Atque ita mihi habeam Jovam propitium, ut b) una mors sit me a te separatura. N. Postquam ita animum obfirmasti, nolo improbius obsistere tuo studio. Eamus, sane, Deo bene fortunante.

SENTENTIA,

*Beati, qui Deum, Deique populum anteponunt
& parentibus & patriæ, eos Deus large remunerabitur.*

BOOZVS Ruth. 2.

ARGUMENTVM,

Boozus comiter alloquitur Rutham spicas legentem, ejusque pietatem collaudat.

Boozus, Messores, Curator messis, Rutha.

A dicit vobis Deus, Messores. M. Et tibi bene omnia secundet. B. Quæ est ista puella, Curator, quam hic video spicas legere? C. Moabitis est, quæ huc sequuta est Noemen, remigrantem ex agro Moabitarum. Ea rogavit, ut liceret sibi legere spicas post messores: id quod adhuc fecit a mane, tam paulum manet domi. B. a) Audi filia, ne iveris in agrum alium ad colligendas spicas, neve hinc abieris: sed haereto apud meas ancillas, & videto ut sequareas eas in quemcunque agrum ibunt messum. Ego yetabo, ne famuli sint tibi molesti. Quod si fities petes po-

E 3

tum

b) Nihil nisi mors.

a) Animadvertenda imitandaque Boozī humanitas: & mox Ruthæ summissio.

